



PROOEMIUM.

Oculos homini datos esse, ut Caelum intueatur, non minus verè, quam sapienter olim Plato, Princeps ille Philosophorum, dixit. Cui calculus suum adjecit Ovidius l. i. Metamorph. DEUS, inquiens:

Os homini sublime dedit, coelumq; tueri
jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Scilicet, cum in corporibus caelestibus summa Divini Numinis potentia, majestas & sapientia maxime elucescat, secundum illud Psalmistæ: Coeli enarrant gloriam DEI & opera manuum ejus annunciat firmamentum Psal. 19. igitur oculis hominem instruxit DEUS, vultuq; sublimi, ut coelum respiciens ampliissimam illicò DEUM celebrandi materiam inveniat. Sed ut oculos nobis dedit divinum Numen, ut ea, quæ supra nos sunt in laudem Majestatis suæ contemplemur; ita mentem nobis concessam esse puto, ut nosmetipsos penitus inspiciamus, & ea, quæ circa nos sunt, oculis abscondita, in admirationem suæ benignitatis rimemur. Id quod fieri quidem potest, si partim in quo statu constituti simus; partim ubi locorum, & in quo domicilio, commoremur, mentis reflexione perpenderit. Illud
A Theo-